



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm
praecepta ad artem concionandi descendam accomodata, sed etiam Ideas
& Conceptus praticos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicationis,
Patrocinij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum,

...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Exemplar I. Quomodo de Sanctis simul sumptis Concio institui possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48347](#)

c.c. 8. & 14. 11. Contra chiragram seu immisericordiam pauperes de qua l.c.c.7.Ex.83. 12. Contra tormenta seu impotentiam in morbis aliisque adversis, de qua l.c.c.11.

6. Posset ostendi, quomodo Rosarij Congregatio sit exercitus immortalis, in defensionem Ecclesie à S. Dominico hortante B. Virgine conscriptus, unde per 12. conciones possit ostendi, quomodo contra 12. hostes defendat. 1. contra Deum iratum. 2. contra Christum Judicem. 3. contra Daemonem. 4. contra mundum. 5. contra carnem. 6. contra vita corporalis pericula, & ipsam mortem. 7. contra malos socios. 8. contra inimicos privatos. 9. contra hostes publicos. 10. contra hostes & calumniatores Rosarij. 11. Contra inimicos domesticos, seu proprias passiones. 12. Contra peccata commissa, quæ omnia pulchris exemplis ex thesauro Rosarij possunt probari possunt.

C A P U T III.

Quomodo de Sanctis conciones institui possint.

ETiam de his variis modis haberi conciones possunt. Videlicet enim de iis in genere seu simul sumptibus concio institui potest; vel in specie de uno tantum, & tum iterum vel tota vita Sancti breviter percurri, vel una tantum aut altera ipsius virtus proponi, & commendari. Singulorum modorum exemplaria breviter hic afferentur.

Exemplar Primum.

Quomodo de sanctis simul sumptibus concies institui possint.

Thema.

Gaudete, & exultate. Matth. 6.

Scopus.

Omnium Sanctorum cultus persuadendus.

Syllogismus principalis.

Tunc meritis omnes Sancti peculiari studio colendi sunt, quod

do hic cultus DEO gratissimus est, & nobis ingentia commoda
pari: atque ita se res habet; ergo.

EXORDIUM.

Celebramus hodie festum omnium Sanctorum, cuius festi
originem hanc assert Batoni. Erat olim Roma ab
antiquis Romanis aedificatum templum celeberrimum in on-
nium Deorum honorem, ideoque Pantheon dictum. Hunc
ergo superstitionis cultum, ut abrogaret, aut potius in me-
liorem commutaret, Bonifacius Pontifex aliud templum in
honorem omnium Sanctorum aedificari, ac adeo cultum fal-
sis Diis attributum ad Sanctos transferri voluit. Id est ergo hodie
etiam Ecclesia a nobis exigit; erant nimis, erant haec
non pauci, qui & ipsi falsos Deos colebant, dum gloriam,
auxilium & solatum ab hominibus, quorum vana est salus,
querebant; sed hodie cupit Ecclesia, ut templum hoc, id est,
cor suum in templum cultui Sanctorum omnium consecra-
tum convertant. hinc omnes ad hanc festivitatem invitat,
dum in missa canit: *Gaudemus omnes in Domino, diem fe-
stum celebrantes in honore Sanctorum omnium, de quorum so-
lennitate gaudent Angeli, & collaudant Filium DEI.* Ut ergo
hic tam ardenti Matris nostrae desiderio tanto promptius fa-
ciascamus, ostendam in praesenti concione paulo fusiūs, cur
& quomodo omnes Sanctos colere debeamus. Vos interea
mentes animosque ad hunc cultum præparate.

Pars Prima.

Et primam quidem partem quod attinet, duas potissimum
causas invenio, ob quas omnes Sanctos præcipuo studio cole-
re debeamus. Prima est, quod summo amore DEVM ipsi pro-
sequantur; qua sanè causa magis, quam omnes aliae movere
nos deberebant, ad omnem illis cultum & amorem tribuendum;
nam dicite, quæso, Auditores, si esset aliquis, qui adeo vos a-
maret, ut de vestris bonis magis, quam de suis gauderet: ut
in omnibus id solum indagaret, & faceret, quod vobis gratis-
sum, & maximè honorificum esse cognosteret: an non
summam ingratitudini animi notam vos admisisse censeretis, si ta-
lem hominis amorem non agnosceretis, & mutuis officiis
compensare studeretis? ita profectò dicetis, si sapitis? Jam
vero ulterius quero; an non DEUM magis, quam vos ipsos

Instruc. VII.

M

ame-

ametis? atque adeò beneficia & officia ipsi exhibita plœ
æstimetis, quæm quæ vobis præstantur? néque hoc, et
negabitis; an non autem ex hoc per legitimam conseque
tiam infertur, vos summè obligatos esse ad omnes Sanctos
singulari amore & veneratione prosequendos? ut, quoniam
quilibet DEUM tanto honore & amore prosequitur, que
honorem & amorem vos perinde accipitis, imo pluris facit
quæm si vobis fuisset exhibitus? verè qui hanc rationem
sufficienter penetrat, ac perpendit, saxeum habere cor debet
bit, si flecti se ac moveri non sinat, ad omnes Sanctos singu
lari cultu & amore prosequendos.

Secunda causa minor quidem, sed tamen valdè quœque
ficax ad eundem cultum persuadendum, offertur nobis
commodis, quæ ex tali cultu nobis proveniunt, & ad triplex
tissimum revocantur, quod scilicet per cultum hunc mer
mur, omnes Sanctos pro nostris *spectatoribus*, *advocatis*, &
protectoris habere, quæ tria officia, si fructum in iis la
tem consideremus, meritò triplex funiculus dici possunt, &
arclissimè ad omnes Sanctos studiosissimè colendos obli
gimur, ideoque difficulter rumpitur.

Nam t. quis non vider, quanta commoda ex hoc, quod est
in omnibus operibus *Spectatores* habeamus, (si scilicet omnia
opera nostra ad eorum post DEUM honorem dirigamus)
riantur? quanta cum solitudine fugientur peccata, si que
credat, se à tot testibus spectari? si, teste Seneca, magna præ
peccatorum tollitur, quando peccaturis testis assistit; an
si tot millia testium assistere nobis adverterimus, omnia
mnniò peccata, aut certè potissima corum, quæ delibera
committuntur, pars afferetur? quanta porrò accusatione
diligentia singula opera peragentur, quanta cum alacritate
personam quisque suam sustinere conabitur, si in tali the
atro, cotam tot tantisque Spectatoribus se spectaculum faciat
esse sibi persuaserit? & cum Sancto Davide dicere ausus fu
rit Ps. 137. *In conspectu Angelorum* (imo & Sanctorum omni
um) *psallam tibi*, cæteraque mea opera peragam? si oculi
Domini juxta commune proverbium saginat equum, qui
oculis tot Sanctorum non faciet? an non animam egest
saginabit? si unius Principis præsentia tantos animos & re
s addit ad opus aliquod summa cum charitate & diligencie
perage-

peragendum; quid non faciet tot Principum regumque cœlestium honorificentissimus aspectus?

Jam verò ex titulo *Advocati*, quæ commoda quisque sperare possit, quis iterum non videt? quid deinceps non sperabimus à DEO impetrare, si tot pro nobis Advocatos intercedere adverterimus? si S. Hieronymus dixit, impossibile esse, ut multorum pauperum etiamnum in hac vita degentium, & pro suo benefactore DEUM deprecantium preces non exaudiantur, quomodo possibile erit tot tantorumque DEI Amatorum tam ferventer perfecteque orantium vota non audiri? qui, ut ait S. Chrysostomus, capita aut alia membra absecta in manibus portant, ut efficacius DEUS moveant: si olim Asetus Esteri dimidium Regni ausus est polliceri; quid DEUS, qui Sanctos per visionem & amorem beatificum artissimè sibi despontatos milles magis diligit, negat eis poterit? an non ergo audacter dicemus cum Ecclesia: *Omnipotens Sempiterne DEVS, qui nos omnium Sanctorum merita sub una tribuisti celebritate venerari, quas sumus, ut desiderata nobis tua propitiationis abundantiam multiplicatus intercessio- nibus largiaris?*

Sed neque ex tertio titulo *Protectoris* minora commoda speranda sunt. Si enim jam olim Elisaeus 4. reg. c. 6. puero suo ob exercitum Regis Syriæ, qui ad Eliam capiendum vel occidendum missus fuerat, trepidanti montem plenum equorum & curruum ostendit, dixitque; noli timere; plures enim nobiscum sunt, quam cum ipsis: quanto potiori jure hoc animæ sua dicet is, qui omnes Sanctos in protectionem suam intentos esse credit? an non se ipsum illis S. Bernardi verbis in Pl. qui habitat, animabit, dicetque: *quid sub tantiis Custodibus timemus? fideles sunt, potentes sunt, prudentes sunt, quid trepidamus? tantum sequamur eos, adhaeremus eis, & in protectione DEI cali commoremur.* Atque ex his patet, cur Sancti omnes à nobis studiosè colendi sunt.

Pars Secunda.

Sed forte dicetis, vobis non sufficere vires ad tot tantosque Patronos colendos; neque enim vobis quidquam præter paucas preces, & quædam virtutum exercitia suppetere ad illos honorandos. Sed hæc quid inter tantos? verum nolite

M 2 diffide-

diffidere, A.A. nam & facillimam, & solidissimam praxis vobis ostendam, quâ Sanctis his omnibus sufficientissimum simul & gratissimum cultum exhibeat. Pro qua tamen prius supponendum est, per honorem uni exhibitum alteri nihil decedere, si ritè honor iste exhibeat, cum honor nihil aliud sit, quam publica testificatio concepta in animo de alterius virtute opinionis; possit autem hæc estimatio unius per altero publicè vulgari, etiam si per eundem actum etiam alii honoretur. Exemplo res clarius fieri poterit. Ponamus me principalem aliquem Dominum testificandi mei in ipsum affectus gratiâ ad convivium invitare, & quia aliunde multi perspectum est, cum aliquos amicos licet longè ipso inferiores valde diligere, etiam hos ad convivium, ut Domino illi amico suo suâ Societate convivium jucundius gratiusque deficiant, vocare; in tali casu nunc aio per talem invitationem, & convivij instructionem utique Dominum illum principaliter honorati, tantumque abesse, ut per invitationem aliorum amicorum quidquam de honoris hujus quantitate decedat, ut plurimum potius ille augeatur, cum hæc ipsa amicorum invitatio propter ipsum fiat, quia scilicet supponitur, illum valde ipsos diligere, atque adeò multum desiderare, secum conviviam hoc participant, ipséque eorum praesentia & conversatione delectari, atque in eorum honoratione per me factâ abundantius honorari possit. Simili ergo modo cum DEI & Sanctorum honore se res habet. Diligit nimirum & ipse DEUS Sanctos suos ardentissime, cupit à nobis plurimum honorari, honorémque illis impensum perinde reputat, ac si sibi exhibitus esset, atque adeò non modo per hunc Sanctorum cultum nil ipsi de honore decedit, sed potius hic summopere augeatur, dum in tot tantisque servis & amicis suis copiosè honoratur.

Hoc ergo supposito totam praxin hujus cultus in tribus consistere aio 1. ut discrimen inter Patronos ad exemplum Ecclesiæ faciamus, & aliquos quidem pro Patronis principibus, & quasi primæ classis eligamus, quales v.g. esse posset B. Virgo, & Sanctissimus Sponsus ejus Josephus, S. Angelus Custos, Sanctus, cuius nomen gerimus, SS. Petrus & Paulus velut fundatores & Patroni principales Ecclesiæ, item fundator ordinis aut statu illius, in quo degimus. Alii pro-

Patronis minus principalibus & quasi secundæ classis colantur, quales v.g. esse possunt, ad quos specialiter vel ratione ejusdem vocationis, vel ratione beneficij specialis accepti, aut obtinendi, aut quocunq; alio titulo magis colendos & amados incitari nos experimuntur. Alij deniq; pro communibus Patronis habentur, de quibus proinde omnibus tñ specialibus, quam communibus Patronis, ut eorum memoria, & fiducia in illos perennò refriceretur, litaniae breviusculæ confici, & quotidie vel certo quavis hebdomade aut mense recitari possent.

2. Ut omnes hos Patronos certo quodam die post peram confessionem & sumptionem Sacri epuli conceptâ formulâ in hunc vel similem modum eligamus. O Sanctissimi, Deoque dilectissimi DEI amici, o Sanctissima cælorum Regina, omnesque cæli beatissimi Incolæ, gratulor vobis ex intimo corde de omni gloria & felicitate vestra, optoque ardentissime, ut haec gloria & felicitas vestra majora in dies augmenta sumat, & verò etiam ipse pro viribus id procurare paratus sum. Gratias quoque vobis, quas possum, maximas ago, pro omnibus & singulis obsequiis Divinæ Majestati & vobis mutuo exhibitis, uti & pro omnibus beneficiis, quæ omnibus defunctis & viventibus, sed mihi præcipue indignissimo clienti vestro tam liberaliter contulistis, optoque iterum ex animo, ut pro tot tantisque favòribus æternum me gratissimum exhibere valeam. Certè quòd negligenter ad eò id ipsum hactenus præstiterim, doleo & erubesco ex corde, ac propterea per amorem DEI mei, & gloriam vestram humilimè rogo, ut & ipsi veniam tantæ negligentiae benignè concedatis, candè inque etiam à clementissimo DEO meo misericorditer impetratis, unà cum efficaci gratia, quâ vel nunc me sincèrè emendare, totamque vitam meam divino servitio, vestroque Sanctissimo cultui consecrare valeam. Id sanè uti ardentissime desidero, ita per vos etiam vel maximè impetraturum me confido; ea propter licet undecunque vestro Patrocinio indignissimus, fretus tamen pietate vestra & Zelo singulari, quem geritis ad DEI gloriam, meamque ac aliorum salutem promovendam, vos coram tota SS. Trinitate, omni possibili submissionis, reverentiæ ac fiduciaæ affectu in amantissimos meos Dominos, Spectatores, Advocatos, & Protectores eligo, firmiterque statuo ac propono, me nun-

quam vos derelictum, nec contra vos aliquid unquam
agitatum, dictum, aut factum, neque permisum
contra vestrum honorem unquam aliquid a meis subdi-
agatur, sed potius totis viribus procuraturum, ut tam a me
quam ab illis gratissimus optimae vitae cultus constanti-
dio vobis exhibeat, eumque in finem omnes nostræ cogita-
tiones, verba, & opera non modo ad vestrum honorem pos-
DEUM sincera intentione dirigantur, sed hâc ipsâ etiam
causa cum singulari diligentia atque perfectione perage-
tur: Obscurò vos igitur, fuscipite me in indignissimum cli-
entulum vestrum, & dum varia clientibus vestris benefi-
ciis impetratis, ad me quoque licet postremum oculos vestros mo-
sericordes convertit, & tum constantiam in vita, gratias &
vestro Sanctissimo cultu, tum copiosam ad omnes actiones
meas ritè perficiendas benedictionem, gratiamque a DEO
imperate; Intercedite quoque pro defunctis, & viventibus
omnibus; & illis quidem requiem & veniam, vivis vero
mihi copiosum a DEO gratiae auxilium obtinet, quo San-
ctissimam ejus voluntatem semper cognoscere, & perfedi-
adimplere, vitamque nostram feliciter claudere valeamus.
quam ipsam proinde vitae meæ clausulam demississime vos
invito, rogoque simpliciter, ut ita mihi assistere, meque con-
tra omnes hostium meorum infidias atque conatus defende-
re dignemini, ut vestro auxilio adjutus feliciter de iis triun-
phem, atque in vestram Sanctam Societatem admissus pro
meis simul ac vestris beneficiis æternaas illi laudes perfecta-
simè decantem. Amen.

3. Ut, dum quotidie manè per bonam intentionem opera
nostra ordinamus, ea ad Sanctorum horum honorem pos-
DEUM dirigamus, & hoc ipso etiam accuratè peragamus; in
quocunque verò casu magna cum fiducia ad eosdem confu-
giamus, auxiliūque nihil hæfiantes experamus. Occu-
rente verò festo eorum principali unum alterumve opus v.g.
confessionis & communionis adjiccamus, sicut si quis inter-
dum propter hospitem novum advenientem singulare ali-
quod ferulum adjicere solet. Atque hunc denum cultum
omnibus Sanctis gratissimum esse aio & facillimum juxta il-
lud effatum Senecæ: Numinis (quidni & Sanctorum) est cul-
tus pulcherrimus (& gratissimus) optima vita. Et gratissi-
mum

num quidein aio, quia *purissimus* est, id est, ab omni delibera-
tā culpā imputis: *amplissimus*, quia omnis generis opera &
virtutes complectitur: & *constantissimus*, quia die noctūque,
& per totam vitam indesinenter exhibetur, atque adeò meri-
tō perpetuus cultus vocari meretur juxta illud S. Augustini
sapientissimum dictum in Ps. 148. *vis semper laudare DEVVM?*
(& Sanctos illius) *benè fac omnia, qua facis, & semper laudasti DEVVM.* In hunc ergo cultum particulares vestras devotio-
nes convertite, nec dubitate quin id, quod per illas obtinere
sperabatis, per hunc sitis abunde compensaturi.

Epilogus.

Quæ cùm ita sint, nihil aliud superesse video, quàm ut ma-
num operi admoveatis, & templum, quod haec tenus in hono-
rem aliarum creaturarum extruxistis, in omnium Sanctorum
honorem consecretis. Agite ergo, & hos denuo illo, quem
dixi, aut alio simili modo in Patronos vestros eligite: hos
deinceps velut *Spectatores* vestros colite, illudque S. Davidis
constantiter usurpate: In conspectu Angelorum & Sanctorum
Psallass & serviam tibi DEUS meus, hos velut *Advocatos* ho-
norate, illudque S. Bernardi monitum circa eos observate:
Modicum, quod offerre desideras, venerandis illorum manibus
offerre memento, si non vis sustinere repulsam. hos denique ve-
lut *Protectores* vestros veneremini, & invocate juxta ejusdem
S. Bernardi confilium: *quoties gravissima videtur urgere ten-
tatio, aut tribulatio vehemens imminere, invoca Ductores tuos,*
custodes tuos, adiutores in opportunitatibus & tribulatione. sic,
sic vicissim vos in clientes benignè suscipient; sic eorum fa-
vores, ut sperabatis, experiri merebimini & tandem in eo-
rum etiam Societatem recepti, perpetuas cum iisdem laudes
gratiásque pro vestris & aliorum beneficiis per totam æter-
nitatem DEO cantabitis. Amen.

Alii Conceptus.

1. Simili modo possent alij conceptus de hac materia for-
mati, & quòd híc unica concione propositum est, per plures
explicari, hinc v.g. posset ostendti, quòd militia sit vita homi-
nis super terram, & in prima parte concionis exponi, à quàm
multis hostibus oppugnemur, atque adeò meritò cum Pucro

M 4

Eli-

Elisæl clamemus: heu, heu!, Domine mihi; quid faciemus? In altera vero parte ostendi posset, quomodo nobis ipso subsidium & auxilium comparatus sit exercitus omnium Sanctorum quoad multitudinem innumerabilis, quoad fortitudinem in superabilis, & quoad promptitudinem succurrendi inastimabilis.

I I. Posset ostendi, quām multas causas habeamus in cœlesti consistorio tractandas, quāmque adeo boni Advocati sunt nobis necessarij, qui propter suam sapientiam singularem sciant, & propter authoritatem, quam habent apud DEUM, possint, & propter eximiam erga nos charitatem *velut* pro nobis apud DEUM efficaciter intercedere, & quomodo haec tres proprietates perfectissimè in Sanctis reperiuntur.

III. Posset ostendi, quām necessarii nobis sint Amici boni in hac vita, quorum consiliis juvemur, conversatione recreemur, beneficiis foveamur, auxilio protegantur: deinde quod ad tales Amicos tres conditioes à S. Bernardo in plato qui habitat explicatæ requirantur, videlicet ut *Potentes*, *Prudentes*, *Fideles* sint; & tandem quomodo has omnes conditioes seu proprietates perfectissimo modo omnes Sancti in se contineant.

IV. Posset ostendi, quomodo Sancti docuerint nos exemplo suo cælum expugnare. 1. fodiendo cuniculos humilitatis: concutiendo muros per globos orationis ex accenso pectori velut bombarda emissos: admovendo scalas mandatorum DEI: confringendo portas per violentiam suis appetitibus illatam: iniiciendo ignem charitatis DEI & proximi, de quo Christus dixit: *Ignem veni mittere in terram*.

V. Posset ostendi, quomodo Sancti veluti Peregrini nobis ostenderint veram viam ad cælum, dum per multas tribulationes introierunt in illud. Unde probari posset, quod via crucis sit reatissima, securissima, & jucundissima ad cælum via.

VI. Posset ostendi, quomodo juxta ejusdem Ecclesiæ effatum acceperint coronas decoris de manu DEI, scilicet coronas de lapide pretioso, sed triplici potissimum, quorum primus est *omnis mali absencia*, juxta illud Apoc. c. 21. absterget DEUS omnem lacrymam ab orulis Sanctorum; altera

omni boni presentia juxta illud Exod. 33. *Veni, ego ostendam omne bonum tibi.* Tertius, utriusque indesinencia seu perpetuitas, juxta illud Joan. c. 16. *& gaudium vestrum nemo tollat a vobis.*

VII. Posset ostendi, quomodo Sancti nunc verè audi-
verint illud ad Moysen dictum 33. *Veni, ego ostendam omnes bonum tibi,* præcipue verò bonum honestum per varios hono-
res in terris & in cælis oblatos: & bonum deletabile per cor-
poris & animi delectationes, quæ proinde copiosius explicari
possunt. de quo vide Fabrum in festo Omnis Sanctorum
conc. 2. 3. & 7.

VIII. Posset ostendi, quomodo per varias portas in-
traverint Sancti. Unus per Christi imitationem, qui de se-
ipso dixit: *Ego sum ostium.* Alius per amorem & cultum B.
Virginis, quæ Janua cæli, & felix cæli porta vocatur. Alius
per portam Crucis dem Creutzthor. Alius per portam par-
vam & angustam, durch das Eusäf. Thörlein / quæ dicit ad
cælum, teste Christo. & est porta humilitatis. Alius per por-
tam speciosam charitatis DEI & proximi; qui omnes proin-
modi quam efficaces sint ad cælestem gloriam, breviter per
singulos ostendi potest; aut si magis placet omnes tantum
breviter referri, & unus duntaxat fusiūs diduci.

IX. Posset ostendi, quomodo ad magnam cænam, nem-
pe cænam Agni sint intromissi. Atque adeò 1. explicari pos-
set, qualis & quām desiderabilis ea cæna sit propter fercula-
rum varietatem & abundantiam, quarum omnium vicem A-
gnus subit; propter convivarum opatissimam societatem &
præstantiam: propter durationis longitudinem & perpetui-
tatem, 2. Probari posset, quod Sancti ad hanc cænam in-
tromissi sunt, quia DEO invitanti per omnia vocationum ge-
nera diligenter & celeriter paruerunt, atque adeò vestem nu-
ptialem gratiæ, aliarumque virtutum tam sollicitè præpa-
rarent.

X. Posset ostendi, quām verum sit illud Psalmi 83. *Bea-
ti, qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum lau-
dabunt te.* Atque adeò ostendi 1. quām ampla sit hæc domus
juxta illud Baruch. c. 3. *O Israël, quam magna est domus Dei,*
& ingens locus possessionis eius. 2. quām lucida juxta illud
Apoc. 12. *non erubunt lumine lucerne, neq; lumine solis, quo-*

*De praxi Conciones
niam DEVS illuminabit illos, & lucerna eius est Agnus. 1.
quām bene instructa omnibus bonis juxta illud Ps. 35. In-
briabuntur ab ubertate domus tua, & torrente voluptatis tua
potabis eos. 4. quām grati & amabiles incolae juxta illud
Ps. 132. O quām bonum, & quām iucundum habitare fratres
in unum.*

Exemplar Secundum.

*Quomodo tota alicujus Sancti vita in concione percuti
possit.*

Thema.

*Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in mani-
bus vestris. Luc. 12.*

Pro festo S. Antonii de Padua.

Scopus.

*Ostendendum quomodo per totam vitam S. Antonius
velut lucerna ardens, pulcherrima variarum virtutum exem-
pla reliquerit.*

Syllogismus principalis.

*Tum meritò imitandus est S. Antonius, quando ille in tota
vita sua perfectissimè Christose conformare studuit; atqui ita
fecit; ergò meritò est imitandus.*

E X O R D I U M.

*Solent in magnis festivitatibus vel Natalitiis Principum
variae solennitates, & ludicra spectacula, puta ignes missiles
convivia, certamina, comœdiae institui & exhiberi. Simile
quid optarem, ut in hodierna S. Antonii de Padua, virti verè
sanctissimi, & omni laude dignissimi festivitate à meis audi-
toribus fieret; certè, ut fiat, insigniter cooperabor. Quare
quia non dubito, jam ignes missiles plurimos ardentissima-
rum precationum in cælum ab ipsis emissos esse: sed & ces-
tamen jucundissimum cum Deomone & vitiis suis per confel-
tionem fuisse suscepturn; plerisque etiam celeberrimo & An-
gelico convivio SS. Eucharistiae fuisse pastos, mihi id solum
relictum.*